

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Honores In Theologia Svmmos Viro Svmme Reverendo Et
Doctissimo Ioanni Frider. Christoph. Graeffe Philos. Doctori
Et Art. Liberal. Magist. Ecclesiae ...**

Pott, David Julius

Helmstadii, [1796?]

VD18 13280759

§. XV Peroratio.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

§. XV

Peroratio.

Sic igitur auctor noster omnem malorum labem, quā genus humanum vexatur, ex nimia rerum altiorum captatione, et e luxuria inde oriunda, deriuare conatus est. Et quis quæsio hanc sententiam, quae cum hodierna, qua sensuum in hominem saeva tyrannis summo rationis arbitrio et imperio nondum subacta pro communi malorum fonte habetur, facilime conciliari potest, ineptam et absurdam vocare ausit?

In nisus isto, omnibus hominibus communī, ad rēs et virtutes altiores, imo diuinās pertingendi, quem auctor reprehendit, et pro malorum fonte declarat, praecipua quidem cernitur hominis dignitas, quippe quo duce ad finem naturae humanae excolendae propositū, ut vltimae boni verique in nobis met ipsiis positae leges ubique dominantur, contendimus; sed auctori nostro de rerum altiorum cognitione, qua vel ipsius mali curiositas in hominum animis excitabatur, quaque, relicta primitiva simplicitate, ad luxuriām abutebantur, sive rotae velut Ixionēae alligabantur, qua circumacti perpetua et inexplebili rerum, ad altiores quasi vitae delicias pertinentium, cupiditate discrucabantur, sermonem esse, supra satis ostendisse nobis videmur. Sic igitur illa rerum altiorum captatio, sensu eo, quo noster eam repre-

prehendit, ad luxuriose viuendi libidinem
prope accedit.

Quatenus vero hanc ipsam luxuriam
pro majorum, homines vrgentium, fomite,
carmine suo declarat, quis sententiae eius
veritatem in dubium vocare ausit, cum, mu-
tatis nominibus, et de seculo nostro fabula
narrata videatur, quod si luxuriam, et deli-
catius vitae genus, spectaveris, quod vrbes
potissimum celebriores tantum non omnes
veluti pestis inuasit, vix seculi ferrei, licet
sapientiae auro obducti, nomine dignum iu-
dicari potest. Et hodie ibi luxuria et diae-
tae nefandae nepotes ex sapientiae arbore
propallulant, quas, tantum abest, vt falce
quam primum amputemus et resecemus, vt
eas potius vna cum verae sapientiae surculis
laete excrescere et efflorescere, hisque suc-
cum subtrahere sinamus. Bellorum quidem
crudelitate et calamitate vix quicquam foe-
dius et damnosius excogitari potest; at pro-
fecto

faeuior armis

Luxuria incubuit
generi humano. Externarum deliciarum con-
tagione, dapum largarum et saliarium, conui-
uiorum intempestiuorum et ad multam no-
ctem productorum infania, animi vires hebe-
tantur, corporis vel tenacissimi nervi soluun-
tur, mors praematura arcessitur, et tanquam
tetra peste, quae in tenebris grassatur, ho-
minum

minum genus imminuitur. Quid? quod blandis iisque calamitosis luxuriae irritamentis sopia gloria in infamiam conuertitur, et intemperantiae impura lue dignitas humana atteritur, et omne virtutis studium sensim infringitur, languescit, perit!

Sed quis nouum huiusce rei, non ad vnum vel alterum, sed ad societatem hominum pertinentis, morem ac ordinem inducere ausit? Nonne ad hunc finem obtainendum quasi opus esset concilio, ex toto genere humano conuocato, quo pristinam frugalitatem et continentiam, quae in desuetudinem abiit, in locum hodiernae luxuriae surrogandam esse, vnanimi consensu decerneretur? At vero haec obiectio nil aliud, quam effeminatae inertiae latibulum, et somnolentiae in agendo perquam molle puluinar! Ita potius age, ac si eiusmodi concilio interfuisse, quod praefide conscientia et sensu morali semper in animo cuiusvis conuocatum et praesto adsit, necesse est. Noli semper imitari alios, sed ex bono cordis thesauro potius noua derome ipse, et ad imitandum, seu potius efficiendum, propone. Non solus relinqueris!

Sed

Sed iam ei diuerticulo, in quod, pace
lectorum, excurri, reueitens, transeo ad
id, cuius causa haec, pro officii ratione, pae-
fatus sum. Nimirum M. IOANNES FRIDERI-
CUS CHRISTOPHORUS GRAEFFE, ecclesiae ad
S. Nicolai Goettingensis Pastor, modeste petiit
ab ordine nostro theologico, ut Doctoris theo-
logiae dignitatem et iura ipsi decerneret. Vo-
luntati eius lubenter ordo noster gratificatus
est, siquidem hunc Virum, muneris honori-
fici dignitate, eruditionis copia et de religionis
nostrae doctrina commendanda, et ad vitae
volum feliciter conuertenda promeritis con-
spicuum, praemiis et honoribus, quorum
imperiendorum potestas nobis est, dignissi-
mum iudicauit. Qui tamen, quamvis scripto-
rum suorum praestantia et fama viris erudi-
tis dudum notus, quo magis adhuc innotescat
legentibus, laudibusque nostris fidem faciat;
subiungimus hic, pro more maiorum, quem
de vitae, studiorumque, quam sequutus est,
ratione ipse conscripsit libellum hunc:

Ego, IOANNES FRIDERICUS CHRISTOPHORUS
GRAEFFE, natus sum Gottingae, anno seculi LIV.
a. d. XV. Febr. Parentes habui optimos, honesto
loco natos, quibus neque fortuna, neque optio, fi-
data fuisset, eligere potuisse meliores. Patre ge-
nitus sum IOANNE CHRISTOPHORO GRAEFFE ciue Goet-
tingensi; matre *Charlotta*, e gente *Steimeyeria*.
Vterque parens probitate, animi candore morum-
que integritate insignis, optimum vitae exemplum

praebuit, quod intuens semper habebam, quid querer. Nihil itaque iis magis cordi fuit, quam ut ad virtutem christianam animus meus fingeretur. Iam nunc etiam saepius ante oculos meos versantur parentes dilectissimi, vt me precibus, institutione, crebro hortatu prosequentes, impellentes, ad verum pietatis sensum, quem ipsi fouebant, perducere omni studio conabantur! Institutionem et disciplinam puerilem patri meo acceptam refero. Quodnam vero vitae genus sequerer, quamue viam ingrederer longo tempore dubius haesi. Cum vero annum vitae agerem decimum tertium, et graecarum latinarumque litterarum elementis in Gymnasio Goettingensi imbutus essem, scientiae victrices discedebant superioresque, firmata et stabilita sententia, Theologiae studium amplectendi. Aetas mea puerilis in eiusmodi quidem tempora incidit, in quibus belli rumoribus, exercituum fremitu, calamitatibus variis regna et vrbes turbabantur; sed quid attinet, ea hic describere amplius, quae tum senserim, cogitarim, fecerim. Sufficit dixisse aetatem meam puerilem inter tantos belli strepitus secundo ac felici cursu effluxisse.

Ingrediens decimum septimum vitae meae annum scholae Goettingensi, hortantibus pluribus, validixi, vt academicis ciuibus annumerarer. Quantopere mihi arridebat hic nouus cursus, rerum varietate, praceptorum copia et institutorum multitudine instructus! Nec aliter esse poterat, vt unusquisque libens concedet, qui considerauerit, quot quantisque viris academia Georgia Augusta vt semper, sic etiam tum ornata fuerit! Praeceptores, quorum praelectionibus interfui, erant Hollmann, Zachariae, Michaelis, Miller, Walch, quos nunc extinctos

stinctos lugeo, Feder, Meiners, Kaestner, Gatterer, Lefz, Beckmann et Heyne, quos nunc adhuc viuere et aliis prodeesse gaudeo. Quis est, qui hos viros ignoret, quantam gloriam sunt suis in rempublicam litterariam meritis, suis ingenii viribus, suis scriptis immortalibus consecuti! His viris, quorum memoriam semper pio et et grato animo prosequendam existimabo, ducibus uti mihi contigit tam esse felici, quibus docentibus et Philosophiae et Theologiae operam dedi. Praecipue vero celeberrimum Heynium audiendum putau, cum graecarum litterarum amore flagrarem, et una tantum hora peracta statim perciperem, hunc virum esse eum, cuius ex ore, quomodo legendi essent antiquitatis scriptores, quomodo in usum transferendi, quomodo boni et pulchri sensus ex eorum lectione alendi, optime ediscere possem. Huius itaque lateri adhaesi, nullo fere paelectionum genere, quibus philosophiae studiosis tantopere praderat, a me praetermissa. Si qua inept in me dicendi exercitatio, quam mediocrem esse lubens concedo, si qua regularum perspecta cognitio, quibus uti debent, qui auditores concionando mouere volunt, si qua facilitas, boni et pulchri sensus percipiendi et veterum pulchritudines pro virium mearum modulo in meum usum transferendi ac imitandi; haec omnia huius viri institutionibus accepta refero.

Quinque annos in his studiis tractandis consumseram, quibus peractis, anno aetatis meae vigesimo secundo, necessarium putau, academia relictia alias petere regiones, ut quae forte didicisset rursus iuuenes docerem, eosque in variis scientiarum partibus erudiendos curarem. Feci hoc quod utile putau, per septem annos, informatoris domestici, ut aiunt, officio ac negotio suscepto. Nunc

E 2

hanc

aut

hanc nunc illam urbem elegi, quemadmodum spe-
rabam fore, ut nouas regiones videns vel mihi vel
aliis plus prodeesse possem.

Sed mox aliam vitae conditionem, alium me-
liorem statum ingressus sum, siquidem b. Chappu-
zeau Abbas coenobii, Loccum dicti, inter hospiti-
tum numerum me recepit. Hoc tempus recordans
semper laetitia afficiar maxima. Nam plurimum an-
norum experientia edoctus eram, quod quantisque
faepe oneribus premerentur ii, quibus instructoris
domestici munus subeundum est, cum et patres
et matres, etiam si inter optimos parentes referan-
tur, faepe fluctuantes, incerti, liberis nimis cre-
dentes, hoc vel illud postulantes inueniantur.
Omnibus his vel iniuriarum vel molestiarum flu-
ctibus erectum me sentiebam, simulac coenobium
Loccum intra suos felices muros me recipiebat.
Nunc omne tempus in litteris colendis, in studiis
tractandis, in exercitatione et praeparatione curan-
da consumere poteram! Accedebat locus amoenus,
bibliotheca libris optimis instructa, Conuentualium
et Hospitum benevolentia et amicitia, quibus quan-
topere fuerim exhilaratus, exprimere non possum.
Hoc modo anno uno et sex mensibus elapsis, quae Con-
fistorii Regii Hannoveranarum rerum sacrarum sum-
mae praefecti est clementia, Obernjesam Pastor voca-
tus salutau. Factum hoc est anno MDCCLXXXIV
quo etiam uxorem duxi, Maria Sophia Friderica Cu-
lemann, Pastoris Luneburgici Hintbergae habitan-
tis filia mihi nubente. Obernjesae omnia depre-
hendi, ut votis meis conceperam, regionem laetam
pratorum, riuorum, syluarum pulchritudine orna-
tam ac omnibus subtiliis ad bene feliciterque viuen-
dum instructam. Tranquillitas loci, naturae pul-
chre ridentis adspactus, sanitatis meae firmae sen-
sus

fus me inuitabant, vt quantum temporis muneris
mei publici cura permittebat, philosophiae, caete-
risque scientiis excolendis traderem. Hic legi rur-
fus Platonis dialogos, hic Kantii immortalia scripta
euoluenda et meditanda in manus sumebam, quo-
rum Duumuirorum lectione assidua factum est, vt
tandem, quaenam essent in catechizando sequendae
regulae, postquam multum et diu dubius antea
haesitaueram, deprehendisse mihi viderer. Anno
MDCCLXXXII Goettingam migraui, vt ibi Pasto-
ris ad aedem St. Nicolai munus curarem. Ut vero
litteras docendi facultas mihi permitteretur et po-
testas, ab Ordine Philosophico in hac inclyta aca-
demia petii, vt mihi summos in philosophia honores
conferret, cuius voti factus sum particeps, post-
quam, dissertatione philosophici argumenti conscri-
pta, et publice disputaueram, et caetera, quae moris
funt, peregeram.

Praelectionibus deinde complexus sum priua-
tis et priuatissimis, nullo semestri praetermisso, Kan-
tii philosophiam, Platonicorum dialogorum expli-
cationem, catechizandi et theoriam et praxin, et
plura alia praeterea, quae usui inuenum inferuire
ijsque maxime esse utilia arbitrabar.

Restat nunc nihil aliud agendum, quam vt, quos
libros publici iuris fecerim, hoc loco indicem.

- 1) *Neuestes katechetisches Magazin zur Beför-
derung des katechetischen Studiums. 3 Bände.
Zweyte Ausgabe 1793. 1794. 1796.*
- 2) *Bemerkungen über Longins Urtheil, daß die
Odyssee der Iliade weit nachstehe. Exstat in:
Neues Magazin für Schullehrer, herausgege-
ben von G. A. Ruperti und H. Schlichthorst.
Vol. II. Fasc. 1. Goettingen 1793. p. 41 - 98.*

3)

- 3) *Katechetisches Journal.* Vol. I. et III. 1794. 95.
 4) *Dissertatio, qua iudiciorum analyticorum et syntheticorum naturam iam longe ante Kantinum antiquitatis scriptoribus non fuisse perspectam, contra Schwabium probatur.* Pro summis in philosophia honoribus adipiscendis. Goettingae 1794. 8.
 5) *Vollständiges Lehrbuch der allgemeinen Katechetik nach Kantischen Grundsätzen zum Gebrauche akademischer Vorlesungen.* Vol. I. Goettingae 1795. 8.
 6) *Grundriss der allgemeinen Katechetik nach Kantischen Grundsätzen, zum Gebrauche akademischer Vorlesungen. Nebst einem Abrisse der katechetischen Geschichte des frühesten Alterthums bis auf unsre Zeiten.* Goettingen 1796. 8.

Hactenus Vir egregius, qui ceterum, scripta et in vulgus edita dissertatione inaugrali officium, quod doctoris theologiae dignitatem capessenti statuta nostra iniungunt, expleuit.

Promotionem eius vero d. XXVII. Dec. A. R. S. CICICCLXXXVI. in academia Iulia Carolina legitime et more majorum institutam esse, suo tempore et loco publice indicatum est. Quod supereft, Deum O. M. enixis precibus nostris flagitamus, vt, quod pia mente institutum est, in ecclesiae salutem, et in academiae nostrae honorem cedere iubeat, et hunc virum prolixa sua benignitate amplecti, atque consiliis ac laboribus eius et in posterum successum felicissimum annuere velit.

